Historia Societatis Jesu in Polonia.

Batazy Alberti: Narratio epistolica ad Adm. Rev. Patrem P. Joannem Argentum S. J. – in qua referuntur feriae post acceptum de SS. Ignatio et Xaverio in Divos cooptatis nuntium institutae Leopoli A. D. 1622.

Jaroslaviae ap. Joan. Szeligam.

NARRATIO EPISTOLICA

ALBERTI BAŁAZY
Philosophiæ in Leopolienſi Societatis IESV Collegio Auditoris.

Ad A^dum R^dum PATREM,

P. IOANNEM ARGENTVM

SOCIETATIS IESV

nuperrimè in POLONIA Præpoſitum Prouincialem, nunc in Auſtria Viſitatorem

In qua referuntur

Collegii Leopol. Societ. Jesu

Feriæ

poſt acceptum de SS. IGNATIO & XAVERIO in Diuos cooptatis nuncium

inſtitutæ Leopoli

Nobiliſsima totius RVSSIAE Polonicæ Vrbe.

Anno Domini 1622.

IAROSLAVIAE apud Ioannem Szeligam.

Adm Rdo in Christo Patri,

P. IOANNI ARGENTO

Societatis IESV in Avstria Visitatori.

ALBERTVS BAŁAZY S. P.

HOMO Hungarici sanguinis, Ad A. R. P. V. nationis Hungaricæ studiosissimum, concinnatam nuper in Polonia molestæ cogitationis medicinam affero. Infiniti propè pro salute Hungariæ, toto orbe notissimi labores, & quotidiani de ea A. R. P. Væ. sermones promittunt, non ingratam A. R. P. V. f[illegible] hominis ab Hungaris oriundi opellam. Vel si hic titulus parum esset, præstabit reliquum in hoc genere Polonica religio, quã summo studio nuperrimè etiam administrando Societatis Iesv in hoc regno prouinciam, A. R. P. V. procurauit. Cogitatio illa quæ in celeberrimis Leopoli ad primum apotheoseos SS. Ignatij & Xauerij nuncium festis cessantem in hoc officiorum genere Hungariam referebat, molestissima mihi fuit. A qua vt fastidientem animum aliò auocarem; lætam auspicatissimarum illarum feriarum memoriã

 sum-

ſumpto in manus calamo, repetebam imprimebã-
que. Celebritatem igitur hanc Leopoli integro octiduo agitatam, cuius recordatio nobis omnibus ſemper hîc longè iucundiſsima accidit, ita vt leuiter à me adũbrata eſt A. R. P. Vᵉ. mitto. Atq; vt A. R. P. Vᵐ. quamplurimis de ſalute Vngariæ curis diſtentam non morer, hinc iam ſuccinctæ narrationis meæ initium faciam.

Decimanona Iunij apertum eſt templum Societatis IESV, totum quantum eſt aulæis veſtitum. Ac inferior quidem pars periſtromate Phrygio auro liberaliter interlito (id nobis vidua Cancellaria Staniſlai Zolkiewſki æternæ memoriæ Ducis cõiux ſubmiſerat) ſuperior verò cum toto fornice veſte ſerica tegebatur. Altare in auro ardebat, in quo recentiſsimam Sanctorum nouorũ imaginem peramplis auratis marginibus incluſam aureæ phialæ atq; carcheſia frequenti ſerie è torquibus aureis (quorum hîc more patrio vſus frequens) appenſa ſtipabant. Ex his paſtilli odoratorij cubitales auro illuſi gratiſsimum balſami toti templo afflabant odorem. Duæ quoq; minores aræ ſingillatim, altera S. Ignatio, S. Xauerio altera propoſitis ipſorum imaginibus inſtructæ, quæ decentiſsimè vt erant in habitu ſacro depictæ, à pijs matronis exquiſitiſsimis cimelijs illuſtratæ fuerunt. Ita enim ſuis locis vniones, ita gemmæ, ita aurum diſpoſitum erat, vt à peritiſſimo artifice pictura vix elegantiùs repræſentari poſſe videretur. Templi quoq; frontem ornabant aulæa beluata, & in illis ex vna parte affixæ imagines apotheoſim & miracula Sanctorum referentes; quas ita vt à D. Greuter impreſſæ ſunt, atq; ad nos ex vrbe miſſæ, Phrygijs munitas marginibus, maioris autoritatis cauſa, vt planè authenticas, expoſuimus. Ex altera parte, Theſes Logicæ ab Ariſtotele Sanctis dicatæ, ex meris ipſorum laudibus appoſitè cũ difficultatibus ſententijſq; Logicis contextæ. his à lateribus adſtabant Ariſtoteles, Plato, Pythagoras, Socrates &c. quibus hinc Theologia, inde Philoſophia aditum ad Sanctos literarum promotores, molliebant. Propylæum templum inter & ſcholas varijs emblematis, ijſq; ſat amplis (pleraque octonum cubitorum longitudine fuerunt) ornabatur, & ſpectatores à templi ingreſſu nouitatis, venuſtatiſq; ſpecie morabatur.

Hora Italici horologij decima, Sacrum, quod vulgò Maturum dicitur, fecit Reuerendiſsimus Epiſcopus Nicopolienſis Archipræſulis Leopolienſis Vicarius. Eo finito Illuſtriſsimus Archiepiſcopus impluuia ornatus ad latus aræ maximæ conſedit, aſſiſtente Venerabili Capitulo & Clero Vniuerſo: accinctis ad ordinem ſupplicationis religioſis huius vrbis familijs, S. Dominici, S. Franciſci, tam ab Obſeruantia nuncupatis, quam Conuentualibus, ac præterea Carmelitanis priſci inſtituti Patribus, cereos candidos ab æditiuo noſtro oblatos deferentibus

bus, protulit tandem vnus è Patribus, duobus alijs comitatus labarum S. Ignatij, quinque ampliùs vlnas longum, latum quatuor, in quo depictus erat S. Ignatius stans, cum nomine IESV, & libro Constitutionum; ex altera parte idem Sanctus cum lemmate: ROMÆ VOBIS PROPITIVS ERO. Alterum etiam S. Xauerij, quod priori par fuit, (vtrumq; in veste Damascena candida auro illustrata fimbrijs floccisq; auro distinctis circumductum) totidem erexerunt. In hoc ex vna parte stabat S. Xauerius librum Euangelij gestans pro Christo legatione functus: ex altera idem varios aqua lustrali tingebat Indos. In extremis singulorũ labarorũ marginibus infra, expressa fuerunt vtrinque sena miracula, non ineleganter à celeberrimo huius vrbis pictore Italo. Hæc itaque triumphalia parasema benedixit Archiepiscopus; quæ simul ac in publicum prolata sunt, pluribus augusta sua specie lachrymas gratulatorias elicuerunt.

Procedente supplicatione processerũt & Patres nostri linteati, immisti clero inter Capellanos & Canonicos medij. Crucem Collegij argenteam anteibant Musici cum organo portatili. Sequebantur vexilla, tum nonnulli religiosarum familiarum officiales sacro apparatu conspicui. Ex quibus par Franciscanorum vnum ex Patribus S. Xauerij statuam (ex solido argento pro hac celebritate fusam) deferentem iuuit; R. verò P. Rectorem, duo Patres

Dominicani in portanda S. Ignatij statua item noua subleuabãt. Alterum eorundem Patrum par pretiosissimis impluuijs collucens, lateri R. P. Rectoris adhærebat. Aliorum religiosorum paria æque illustri apparatu splendida, ante ipsa labara locum sibi delegerunt. Ponè subibat R[mus] Episcopus Nicopoliensis, tum Illustm̃us Archiepiscopus. Incesserunt hoc ordine per tres fori quadrati regiones, quæ iussu magistratus, (qui toti huius pompæ, ac reliquæ hebdomadæ ludis exornandæ negotium collegæ suo D. Martino Nouicampiano Philosophiæ & medicinæ Doctori singularis omnino iudicij animiquè viro commiserat) peripetasmatis, tapetibus, imaginibus, altaribus, encarpis eleganter sumptuosèquè conuestitas, symphoniacis passim per ædes personantibus, studiosis nostris vndique rithmicè acclamantibus, tormentis bellicis adeò per forum, (non modò ex vallo & turribus, in quibus octoginta machinæ eum in vsum erant dispositæ) reboantibus, vt nonnulli nobiscum incedentes præ fragore in terram prosternerentur; tympanis, choraulis, tubis, in summa prætorij turri, quæ toti vrbi dominatur, identidem percrepantibus. Comitabantur, nos à latere quidem armati sub signis pedites quingenti, propius verò lecti scholarum nostrarum iuuenes centũ triginta cum funalibus Punicis; retrò sequebatur magistratus, vicina nobilitas frequens, ac reliqua ciuitas effusissimè quantũ antea nunquã

(vt visum est viris etiam rerum externarum peritissimis) cum modestia omnino commemorabili tamq; singulari deuotionis sensu, vt eum hucvsque præstãtes iudicio viri admirari non desinant. Ita gloriam sanctorum circumferentes, ad ingressum templi Cathedralis habuimus arcum triumphalem opera ciuitatis erectum, picturis conspicuum, acclamationibus insignem. In ipsa æde constitutis nonnihil labaris, Archiepiscopali sacrificio interfuimus, tum etiam graui atque eruditæ Polonicæ Episcopi Nicopoliensis orationi. Inde, Archipræsule hymnum TE DEVM præcinente, & cum symphoniacis vniuersa supplicatione prosequente, per quartam fori regionem eodem ordine ad ædem Societatis IESV per arcum propè illam sumptibus Collegij exstructum, per medias adolescentũ acclamationes, per frequẽtes symphoniacos hinc inde dispositos, perquè tormẽtorum bombos redijmus. Hic Archiepiscopus sacram Hostiam, quam ipsemet circumtulerat, postremis hymni verbis SALVVM FAC &c. cõpellans, beneq; populo precatus, supplicationem dimisit. Defixis tandem vexillis R. P. Rector Archipræsulem, Optimates nobilitatis, ac magistratum ciuitatis, ad religiosum epulum inuitauit; impensas largientibus amicis tũ ciuibus, tum nobilibus, quorum aliqui ceruos aliasq; feras à quindecim leucis ad nos miserunt. Magistratus verò ingentes aliquot exquisitissimi vini (quod incredibili penè precio hac tempestate in his partibus vænit) amphoras in medijs epulis submisit. Dicebat ad mensam Latinè M. Humanitatis de illo S. Ignatij acroamate AD MAIOREM DEI GLORIAM. A prandio distributæ in Collegio trecentæ, à magistratu verò in prætorio quingentæ panis inter egenos libræ; vt bonæ illorum precationes symphoniacorum melodiam cœlo condirent. Secutæ sunt preces Vespertinæ æque Musicorum concertatione ad inclinatam ferè diem productæ. Verùm earum non expectato fine, comparuerunt in foro quadraginta equites splẽdidissimi quà Catholici, quà Armeni, quà Rutheni. qui accepto tympanis tubisque signo cum festis vndique acclamationibus hastis grandioribus certabãt, concitato in cursu equo bombardis ad scopum iaculabantur; pileos tam humi proiectos, quàm puerorum manibus porrectos, hastilibus in sublime tollebant, in summo equorum impetu sagittis pileos configebant. Vnus tandem præmium a magistratu tulit galeam & thoracem perpolitum.

Hora 24. satellites viginti quatuor amictu concolores, Arium Hæreticum artificiose comparatum è carcere eduxerunt, bouiq; impositum cum accensis tædis, per quatuor fori angulos denunciatum, cum in genti populi vociferatione, ad prætorij turrim deportarunt. ibi tandem in sella sursum funibus tractus incensis intestinis ardere non sine arte cæpit: atque ad extremum increate è media turri prominente luci.

diſsimis ignibus crematus eſt. Ita ad ſecundam noctis horam tubis ac tympanis perſtrepentibus populus ignium artificioſorũ ſpectaculis tenebatur. Nam & per editiſsimam turris coronidem, ac ipſius tholũ & per arcum Collegij, tum in feneſtris vicinorum noſtrorum lichni penſiles multicolores, ad morem Romanũ, nullo antehac exemplo ardebant, & in foro pyroboli inuſitata quædã artificia edebant. Cæterùm hæreticorum incendijs Ciuitas, quæ nullam excogitatarũ hoc ſæculo hæreſum admiſit, neq; vlli eiuſmodi labe infecto ius ciuitatis, quantumuis potentiſsimo. virorũ oppugnata machinis cõceſsit, teſtata eſt ſe S. Ignatio nouo ſuo patrono, hæreſum exterminatori, & S. Franciſco Xauerio fidei propagatori, hæreſiarcharum exitio litare.

Die Lunæ horis matutinis dato ex prætorio tympanis tubiſq; ſigno duxerunt ſupplicationem à templo Cathedrali ad Collegium ſex tribus præcedente Cruce, ad cuius latera portabantur effigies SS. Ignatij & Franciſci, adoleſcentibus linteatis funalia candida præferentibus, Muſicis ita Litanias cõcinentibus, vt ſuis locis nouos Sanctorum indigetes inſererent. qua ſupplicatione nondum finita, S. Franciſci de Obſeruantia Religioſi, apud nos Bernardini dicti, ſupplicantium ritu ad ædem Societatis IESV venerũt, & Sacrum ſolemne cantarũt, ac Ordinarius eorum celebriſq; concionator R. P. Auguſtinus Gnatowſki prolixè de Sanctorum & inſtituti

Societatis

Societatis IESV laudibus diſſeruit. Hora decimaquinta tympanorum tubarumq; clangore pauperes ad prætorium conuocati ſunt, & quingentæ panis libræ inter illos diſpertitæ. quod ipſum toto octiduo ſub idem tempus magiſtratus piè liberaliterq; præſtitit. A prandio Eloquentia nouos honores vincta ſolutaq; dictione S. Patri apparauit. Produxit in ſcenam emblematico artificio adumbratas virtutes dictionis, quæ ad tria genera cauſarum Rhetoricarum ſymbola heroica animi excelſi in parente Ignatio deprædicarũt, eiq; monumentum ex literis hieroglyficis poſuerunt.

Ante Veſperum Valentinus Stancelius tribunus adduxit in forum tria peditum armatorum vexilla. Hæc præcedebant duo boues cornua inaurati, & ſex viri candidis amicti ingentes gladios euaginatos manibus præferentes. Sequebantur duodecim equites item candidi, equis doſſuarijs inſidentes. Tribunus circumductis ordinatiſq; militariter cohortibus, ſignum eripiendorum ſibi mutuò vexillorũ dedit, qui congreſſus ſatis diu dubium, armatis acriter vtrinque concurrentibus, tenuit ſpectatorem. Deinde anſerem viuum vnum atq; alterũ è fune ſuſpendi iuſſit, cui equites illi ruſticani certatim in curſu abrũperent collum. Tulit palmam vegetus quidã ſenex & præmij loco nitidum acinacem. Expoſitis verò bubus vnum decapitare aggreſſus Baſsiſta Curialis, præmium quindecim florenorum habuit deſtina-

 tum

tum. Hora 24. à porta Cracouienſi Neſtorius è carcere eductus, ſex armatis ſtipatus inſidens, equę facie ad caudã verſa, in quatuor fori regionibus proclamatus, in crate turris prætorij artificioſè exuſtus eſt. Reliqua etiam huius diei ſpectaculorum materia vagi præcipuè pyroboli fuerunt.

Die Martis ſex aliæ tribus ſupplicationẽ hesternæ perſimilem ad templũ noſtrum adornarunt. Et quia dies erat B. Aloijſio Gonzagæ ſacer, ipſimet Societatis Patres Miſſæ & Concionis celebritatem obierunt. Exonerata etiam ſunt in medio Sacrificio ex vicino vallo tormenta, quæ ſignificarent talem filium ſuæ virtutis luce in partem triumphi talis Patris venire, ad quem conſequendum tantis ſanctimoniæ paſſibus contẽderit. A prandio exhibuit nobis ſcena propè arcum Collegij Eccleſiam triumphatarum hæreſum, & conuerſarum gentium nuncio exultantem, Indorum Neophitorum oratores excipientem, Societati IESV multis gratijs fauentem, cæleſtes honores SS. Ignatio & Xauerio decernentem, ſpectante Illmo Archiepiſcopo, freqnenti nobilitate, & omnibus ciuitatis ordinibus. Hora 22. Melchior Pascouitius tribunvs ciuitatis, quinq; peditum ſigna ad prætorium adduxit, & militariter exercuit; deinde iuuenes duodecim variarum gentium habitibus ornatos produxit, ad ſuperandam ſaltu foſſam decem cubitos latam. His multi alij ſeſe adiunxerunt; & poſt longum certamen duo ex omnibus expectatum præ-

ſtiterunt

ſtiterunt ſaltum, tuleruntq; præmij loco, primus bõbardam longiorem geſtatoriam, alter harpen elegantem. Hora 24. adductus eſt in forum draco flãmiuomus, qui ſenſim diuerſiſsimis pyrobolis magna omnium voluptate diſsipatus eſt. Succeſsit mox rupes mobilis, cui inſidebat Orpheus teſtudinem pulſans, intus vero vocalium æque ac ſymphoniacorum concentu reſonabat. hæc etiam tandem ſuccenſa Æthnæ inſtar arſit, & plurimis quà lucidiſsimis, quà horrificis, qua vagis pyrobolis diſsiliit. Deniq; productus eſt cum funalibus Iulianus apoſtata ſplendidè planè ornatus, corona, ſceptroq; inſignis, hinc eũ duobus Rabinis, inde duobus Derbiſsis Turcicis ad ſuam perfidiam pertrahentibus. hîc quoq; poſtquam in quatuor fori partibus proclamatus eſt, in ſublime tractus, in crate è turri prominente igni fatitio abſumptus eſt. pyroboli verò ingenioſiſsimi integrum fermè peruolitantes forũ maiorẽ noctis partem, magna ſpectatorum voluptate, ſibi vendicarũt: nunc enim cœlum verſus adeò vehementer ferebantur, vt eos vix oculorũ acie conſequi poſſemus: nunc ſupernè redeuntes in flammarum lucidiſsimos diſpergebantur globos, vt ſtellas non æmulari tantum, ſed etiam ſuperare luce viderentur; nunc in orbem diu agitati, bombis numerum finiebant, nunc funibus alligati ex vna ad alteram fori regionẽ ferebãtur; nunc humi ſerpendo quaquauerſum ſpectatorum turmas peruagabantur; nunc deniq; aquis immerſi earundemq;

innunda-

inundantiam innata contentione eluctati, in alium demigrabant campum.

Die Mercurij ad tubarum tympanorumq; signũ è prætorio datum, venit ad ædem Collegij sex tribuum funalibus Punicis instructarum supplicatio, quam paullò ante præcesserunt Patres antiquæ religionis Carmelitæ, qui & Missam sollemniter celebrarunt, & per suum Concionatorem P. Samuelem Sikorski SS. Theologiæ Lectorem de SSrum & Societatis Iesv laudibus perquam eruditè liberalissimeq; pronunciarunt. A prandio opera Poëtæ nostri comparuit in foro Parnassus mobilis bene magnus, quindecim vlnas longus, paullo altior. In eo Fama gloriam Sanctorum è vertice promulgauit; ita excitus Amphion, suo ipse quoq; sumpto plectro congratulando celebritati, soni suauitate motum indidit monti, sed ad eum motum repente fragore tormentorum coorto, mons bifariã dissilijt, ac simul aperta Apollini Musisq; cauerna, chorus Musarum in laudes Sanctorum effusus est. Aperuit & Pegasus vngula Aganippidos fontem; & montem non nihil subsistentem, Dryades appensis ad subtilissima licia hamis, in montemque coniectis, visæ sunt nonnihil tam ingentem machinã commouere; & similia id genus excogitata. Hora 22. tribunus Ioannes Sulcius quatuor peditum vexilla in foro explicauit. Præcedebat Æthiops insidens Rhinoceroti inter duos cataphractos: ponè ducebant currum duo aurigæ festiuè amicti. In altera currus

parte

parte expositus fuit porcus integer, in altera bos integer excoriatus; in medio lanij carnes minutim secabant, & botulos farciebant. Prope tribunum incedebat armiger, qui nudum ensem sursum iactatum magna dexteritate excipiebat. Dispositis ordinibus datum est spatium cataphractis, qui se mutuo vectibus prælongis ex equis desultorijs proturbarent. fuitque qui semel deiectus ter eundem aduersarium detrusit. huic bos præmium fuit. His successerunt sex luctatores, thoraculis & semicinctijs induti, quibus multi alij adiuncti diu luctam extraxerunt. præcipuo tandẽ cessit porcus. Post solis occasum Rhinocerotis cornu accensum lucidissima flamma satis diu artificiosissima materia nutrita spectatores delectauit: quæ lentè ad pyrobolos delata machinam ingentibus bombis difflauit. Non dissimilis fuit exitus Æthiopis. Prima noctis hora Martinus Lutherus, ex carcere eductus lepidè vestitus, viuo porco insidens, à quatuor palangarijs ferebatur collucentibus funalibus, stipatus duodecim Heluetijs habitu rubeo amictis, in quatuor partibus fori accusatus damnatusq;, demum sellæ impositus, & rudentibus in turrim tractus miro artificio incensus sublimè pendens arsit. Nam fax accensa quæ illi sub axillam infixa fuit, ob artificiũ materiæ tam diu nitidissima flamma luxit, vt finem non habitura videretur, nec vestem afficere posse existimaretur. Verùm ad extremum concepta flamma, os illi pectusq;, illa horrendarum blasphemiarum conce-

ptacula

ptacula, pyroboli primùm conuulſerunt, deinde totus abijt in fauillas.

Die Iouis ante meridiem ſex tribus cum Muſica curiali ſupplicabundæ ad ædem Collegij venerunt. Præuenerat ſupplicatio Patrum familiæ Dominicanæ, quorũ præſes Adum R. P. Cæleſtinus Diſzpot Leopolienſis inter ſolemne ſacrificium ſuo ritu peractum, ſanè quàm doctè & grauiter laudes S. Ignatij exaggerauit, quemadmodum & poſtridie idem præſtitit S. Xauerio. Hora 23. quatuor peditum ſigna duxit ſplendidè Alexander Vbaldinus. Præcedebat cohortes currus tribus boum iugis, cornua inauratis tractus; in curru duo ingentia dolia non ineleganter picta; alterum aqua mulſa, alterum cereuiſia plenum. Primo Bacchus (qui è ciuitate, nouis in eam Sanctis adſcriptis, proſcribebatur) inſidens, vltimum Vale precando, decumano cyatho omnibus propinabat, maximè verò viris militaribus, qui ſe ad arcis oppugnationem accingebant. Alteri inſidebat pithaules. His ab vno latere ibant comites fidicines, ab altero ambubaiæ. Sequebatur currus cum grandi dolio pertuſo, de cuius poſſeſsione duo perſonati artificioſè certabant; ita vt inceſſanter in curſu quà vnus pedem extulit ex dolio, illac alter caput insereret; & altero intrò repenti, alter ſupernè foris immineret; alter deniq; equo inſidens, ex eodem alterius metu ſupra dolium aſcendentis, in idem dolium tanquam in præſidiũ ſe reciperet. Ven-

tum tandem eſt ad arcis ſimulachrum, lignicis propu-
gnaculis appoſitè depictis inſtructum quod ante præ-
torium ſupra publicum fontem Alexander Vbaldinus
erexerat. In hanc arcem fingebatur ſe abdidiſſe Siſca,
Hæreticorum in Bohemia olim Euchariſtiã ſub vtraq;
ſpecie ambientium patronus. ad eum igitur expugnã-
dum quatuor aſſultus fecit Vbaldinus, tanto hinc igni-
uomarum bombardarum fragore, inde tanto pyrobo-
lorum horrore, tympanorum tubarumq; clangore, vt
res à iuſta oppugnatione non multum abeſſe videre-
tur. magna enim ignium vis non exiguis Vbaldini im-
penſis vtrinque procurata fuit; quod & qui bombar-
dis iaculabantur, materiam ſupra conſuetudinẽ flam-
mantem exonerare viderentur. & qui arcem defen-
debant, ingentem varij generis pyrobolorum copiam,
manibus, tormentisq; bellicis iactabant. Et quia bifa-
riam diuiſus exercitus munitionem aggrediebatur, in
duas etiã fori regiones, per extenſos funes immiſsi py-
roboli flammas eiaculabantur. cùm verò maximè op-
pugnatio premeretur præter creberrimos ignes manu
ſparſos, alij è machinis æneis ingenti fragore ſurſum
ferebantur, & demum in aëre ex globo artificioſè cõ
pacto erumpentes deorſum ſtellarum inſtar cadebant
Miraculi loco fuit, quòd in tanta ignium copia nem
vulnus, damnum nemo tulerit, maximè verò is circ
quem eodem momẽto quadringenti circiter pyrobol
accenſi fuèrunt. Poſt longum in noctem certamen
expugnatus eſt denique Siſca, & à peditatu Hungar

coa

co ad prætorium raptus. Verùm antequam in sublime tolleretur, totus propemodum à vulgo discerptus est. Pyrobolorum spectaculo, & aliquorum ludicro habitu indutorum festiuitates populum ad tertiã noctis horam occuparunt.

Vigesima quarta Iunij, quia dies S. Ioanni sacer incidit, totus intimæ religioni datus est. Quia verò Leopoli ex antiqua consuetudine solent ad contestandã mutuò beneuolentiam familiariter conuiuari, misit ad Collegium magistratus Censorem Vrbis, vulgo Syndicum appellatũ, qui peteret, vt pro recepta amicorum consuetudine, possent vnâ cum Patribus familiariter in triclenio eodem vesci, atque hoc argumento intimam suam erga nos animornm propensionem comprobare. Egit gratias prolixè R. P. Rector, remq; vniuerso Collegio, non debere, non esse gratissimam, luculenter ostendit. Affluit mox exquisitarum epularum copia magistratu procurante submissa. Cæterùm Magistratus propositi sui tenax nullo modo adduci potuit vt mensis accuberet, donec Patres, qui se ad ministrandum accinxerant simul cum illis considerent. & cùm subselliorum locum nondum expletum viderunt, institerunt vt reliqui Patres aduocarentur. Excusabat studiosè (vt mihi relatum est) R. P. Rector, causabatur Confessiones, quibus excipiendis adhuc in templo detinebantur. Respondit constantissimè Magistratus se expectaturos, tam diu donec labore illo perfuncti essent; Expectatum est aliquamdiu

liquamdiu: denique cùm effugio locus præclusus esset, adfuerunt Patres reliqui, mensis accubuerunt, & quidem alternatim, vt singuli Patres, singulis assiderent Senatoribus, qua in re nisi R. P. Rector Senatui obsecundasset, epulis abstinere decreuerant. toto illo mẽsæ tempore eximiam suæ erga nos voluntatis significationem plurimis argumentis contestati sunt, mirificeq; hoc inuento, Patres sibi obstrinxerũt. A prandio destinata fuit actio Musica à Philosophis concinnata, in qua sensus internos, & externos, obitu S. Ignatij lugentes intelligentiæ cœlorum motrices consolarentur, & septem Planetæ, supra ingentes orbes artificiosè ad motum compositos vecti, triumphos sanctis gratularentur, atque ad consimilem gratulationem. quatuor orbis elementa suo motu prouocarent. Sed quia temporis breuitas tantam molem educere non permisit; dilata res est, ad ipsũ S. Ignatij proximũ Kalendis Augusti diẽ. quo quidem tempore exhibitã viderũt Leopolienses nostri, quorũ plerosq; dicere solitos audiui, nihil eiusmodi in hoc genere Leopoli hacten⁹ visũ esse. Equidem illa orbium cum adolescentibus Planetarum ritu suis vehiculis insidentibus, ad perfectam figuram sphæricam circumuolutio, omnibus admirationi fuit, plurimis horrorem adeò incussit, vt oculos aut auerterent, aut clauderent; cùm intuerentur adolescentes cum orbibus (quorum aliqui diametrum habebant quindecim cubitos longam) deorsum pronissimos ferri. deditq; ea res disceptatio-

ni materiam, an redeuntibus ad circulum orbibus denuo vehiculis imponerentur adolescentes, an aliquo artificio affixi orbibus (vti verè fuit) circumferrentur. Incomparabilem haud dubiè plusum res habitura fuisset, si artificem magis peritum & obsequentem nancisci potuissemus. Habuit enim actio multum nouitatis præter materiæ subtilitatem, & versus elegantiam, ex modis Musicis, ad quos pronunciata fuit, veterum Græcorum, & recentium Italorum more; ex habitu, & symbolis sensuum satis accommodatè ad propositum depictis; ex Planetarũ acuminibus, quorum vnusquisq; suas influentias commemorando, S. Ignatij virtutes exaggerauit, quòd influentiarum vsum ad maiorem Dei gloriam, hominumq; salutem non minus ingeniosè quàm feliciter conuerterit; ex elementorum deniq; functionibus. Quippe suos etiam (postquã non pauca de nomine & igneis Ignatij moribus modulatè lusisset) eosq; nouos Ignis euomuit pyrobolos. Aer incolas aereos, aues ad gratulationem euocauit. pronunciauit, tubas inflauit, sonuit tympana psitacus; saccaro ad extremum dulci grandinauit. | Aqua cum Terra montes & syluas ad saltum exciuit; eruperũt ex his fontes, Satyri concinnos ad numerum dederunt saltus, & Satyricè quid à Patribus syluestres homines excolêntibus didicerint, quos mores Indos inter, ab illis propagatos viderint, quosq; hîc intuerentur, populo auidè audiente, epilogati sunt.

Vige-

Vigesima quinta Iunij Patres Franciscani Conuentuales dicti concionem & officia diuina eximio Musicorum conuentu, cui hac tempestate non passim reperias parem, obierunt. A prandio disputatiunculæ de Sanctorũ laudibus. Interfuerunt. Canonici Ecclesiæ Cathedralis, & omnium huius vrbis sacrarum familiarum Doctores. Disputauit primo loco Canonicus, omni literatura in Hispania, Italia, Gallia exercitatus Adm̃ R. D. Simon Wędzicki; Secundo ex Dominicana familia Theologiæ Doctor.

Vigesima sexta Iunij quæ fuit sollemnitatis octaua, Illmus Archiepiscopus sacrificium magno omnium ordinum concursu perpetrauit; pro Concione Adum R. P. Andreas Gizicius Franciscanoũ Conuentualium Commissarius, magna virtutis & doctrinæ opinione vir, dixit eleganter, copiosè, solidè de Sanctorum & Societatis IESV excellentia, non sine rubore Patrum, quorum institutum & virtutem multis præclaris argumentis supra cæteros ordines extulit. Displosa etiam sunt ad sacræ hostiæ eleuationem tormenta. Pransus est in Collegio Illmus Archiepiscopus, & adolescentes Rhetores pro cumulatissimo Sanctorum cultu gratias agentes audiuit. Vespertinum officium sollemniter cantatum; eo finito, in summa turris prætorij coronide, Hymnum Te DEVM laudamus, trifariam diuisi Musici, vocales, symphoniaci, tubicines cum tympano tubis quauersum personabant. Ad primas tenebras

ex ar-

ex arce superiori (ita enim vocatur munitio in editissimo colle vrbi planè incubante sita) variæ pyrobolorum machinæ per vnam ampliùs horam iactatæ; in summo turris prætorij tholo, in arcu Collegij, per fenestras præcipuorum in foro ciuium, lichni multicolores accensi. Incensum deniq; est in foro artificiosum castellum ter, atq; vltimò tantam ignium mirabiliter volantium emisit vim, vt tota illa vicinia igne occupata esse videretur, & homines licet iam antea tota hebdomada ad ignium spectacula assuefacti, tunc tamen stupore defixi hærerent.

Ita Leopolis vrbs in his partibus æquè ordinata ac magnifica, nouos Patronos recepit, ita finem triumphis imposuit, aut potiùs non vulgare triumphorum in cœlo perenniter durantium, quibus sine satietate cœlites perfruuntur studium in mortalibus excitauit. Reliqua A. R. P. V. conijciat ex eo, quòd huius festi apparatus, vt ab ijs qui eius procurandi negotiũ habuerunt didici, minimùm quatuor florenorum millibus, piorum liberalitate collatis, Patribus constiterit. quæ summa apud nos, hac præsertim bellorum tempestate, non est contẽnenda, vt mittam Martyrum Societatis IESV imagines: quæ licet ad hanc celebritatem expediri non potuerint; prodierunt tamen ad solatium populi die S. Ignatij sacro. Deo immortali in Sanctis suis glorioso gratiæ, qui mortalium erga seruos suos studia sibi cordi esse, non dubijs argumentis ostendit.

Nemo enim est qui non fuerit admiratus integerrimis aliquot hebdomadis ferè continuis, atq; adeò pridie sollemnitatis, continuas pluuias; imò ante ipsam supplicationis horam nubes grauidas ciuitati impendentes disparuisse, & iterum peracta celebritate, quasi redintegrato iure, reuertisse. Stupebant alij in tanta ludorum militarium frequentia, (planè enim tota hebdomada officinæ feriari videbantur) in magna ignium bombardarumq; copia neminem vulnere, aut alio damno affectum fuisse. Singularis etiam fuit cõtinuis octo diebus Sacramẽta & sacrificia frequentantium multitudo, quæ vna maximè syncero nos impleuit gaudio; cuius partem A. R. P. V. transmittere conatus sum, illa potissimùm spe animatus, quòd imperterrito A. R. P. V. studio similem Numinis, Diuorumq; cultum in Hungariam reducendum coniecter; cum qua me Sanctis A. R. P. V. precibus, & pristinæ beneuolentiæ studiosissimè commendo. Leopoli. Pridie Nonas Augusti. 1622.

A. R. P. V.

Addictissimus,

Albertus Basazy.